

Sermones

Albertanus Brixienſis

Sermo I

Sermo factus super illuminatione et super spirituali et corporali refectione et que sunt necessaria in refectione.

Orate Deum, fratres, ut, ministerio sue sanctitatis, per me, servum suum inutilem atque indignum, ministret vobis hodie aliquid utilitatis.

Fratres mei, more solito hic congregati, propositum nostre congregationis inspiciamus, circa illud aliqua utilia pertractantes. Propositum certe nostre congregationis triplicem habet causam. Quarum prima est illuminatio; nam consuevimus hic congregari ad collationem faciendam, ut oleum ematur de quo sacer iste locus illuminetur. Secunda causa est spiritualis reffectio, quam hic a fratribus cum devotione suscipere consuevimus. Tercia est corporalis reffectio, quam hic cum caritate debemus sumere. De quibus singulariter despiciamus.

Circa illuminationem scire oportet quod, qui aliis lumen volunt prebere, in se lumen debent habere. Nam, sine lumine, homo quasi cecus dicitur et "si cecus ceco ducatum prestet, ambo in foveam cadunt," ut in Evangelio Veritas ipsa testatur. Ut ergo verum lumen habeamus aliisque possimus conferre, sciendum est quod, sicut in lumine nostro corporali consueto quatuor intervenire debent, videlicet: ignis et oleum atque aliquod corpus purum, in quo oleum infundatur et accendi possit, et ipsa accensio, ita et in lumine vero spirituali predicta quatuor intervenire debent.

Ignem namque habere debemus, hoc est Deum in cordibus nostris portare eiusque memoriam habere atque illius amore calefieri. Et quod Deus ignis sit bene testatur Beatus Paulus, in Epistula ad Hebreos, dicens: "Et enim Deus noster ignis est consumens." Consumit enim omnia nostra peccata. Hic enim est ignis, qui Apostolos inflamavit adque illuminavit in pascha Pentecostes. Hic etiam est ignis, qui apparuit Moysi in rubro. Hec est columna ignis, que eduxit populum Israeliticum per desertum. Hic insuper est ignis habens carbones desolatorios, qui dissolvunt corda nostra ad benefaciendum, de quibus dicit Propheta: "Sagitte potentis acute, cum carbonibus desolatoriis." Hii sunt carbones, quos debemus inicere super capita inimicorum nostrorum, ut ait Beatus Paulus, in Epistula ad Romanos: "Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sicerit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeris super caput eius."

Oleum vero habere debemus, hoc est nitorem bonorum operum et operum caritatis. Hoc est oleum de quo dicitur in Evangelio de decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, quinque fatue. Prudentes vero ornaverunt lampades suas oleo et intraverunt cum sponso ad nuptias. Fatue vero non sumpserunt oleum secum et ideo excluse sunt a nuptiis dictumque est illis: "Amen dico vobis, nescio vos."

Hoc oleum debet esse purum nullique putredini admixtum, ut ex eo purum lumen et verum valeat elici. Nam, cum facimus opera caritatis, non debemus hoc facere cum vanagloria admixta.

Unde dictum est in Evangelio: "Cum facis helemosinam, noli tuba canere, sed secreto, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi." Non enim obliviscetur Deus de operibus caritatis, sed in die iudicii dicet: "Esurivi, et dedistis mihi manducare: nudus fui, et copuistis me: hospes fui, et collegistis me: sitiivi, et dedistis mihi bibere, infirmus et in carcere fui, et visitastis me." "Venite et percipite regnum," etc.

Nec etiam debemus facere huiusmodi opera invite vel per impressionem, sed hilariter. Nam, ut ait Augustinus: "Qui dat pauperi non ut reficiat viscera indigentis, sed ut removeat tedium impetrantis, et rem perdit et meritum." Et certe opera caritatis merito comparantur oleo, quia, sicut oleum cuicumque liquori supereminet appositum semper, sive super ponatur, sive infra ponatur ita et caritas eius opera omnibus virtutibus supereminet. Unde dicit Beatus Paulus, in Epistula prima ad Corinthios: "Nunc autem manent fides, spes et caritas, tria hec: maior autem hiis caritas est."

Et sicut nostro oleo materiali tripliciter fungimur, videlicet: ad illuminationem et ad condienda alia cibaria et ad unctionem, ita et de isto oleo spirituali, id caritatis, debemus tripliciter fungi, scilicet ad illuminandum, quia per illud pervenimus ad verum lumen, ut dixi; et ad condiendas alias virtutes, quia sine hac caritate alie virtutes nichil sunt, ut Paulus in predicta Epistula dixit et ad unctionem, diligendo iusticiam et odio habendo iniquitatem, ad exemplum Christi, de quo dixit Propheta: "Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, tuus oleo leticie, pre consortibus tuis." Et Iesus Sirac dixit: "Fili, agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iusticia, et Dominus expugnabit pro te omnes inimicos tuos." Si autem predicta opera caritatis non fierent pura intencione, sed ex vanagloria vel aliter, hoc oleum non esset purum, sed faciens hoc accepisset mercedem suam, et diceretur oleum peccatoris, de quo dicit Propheta: "Oleum peccatoris non impinguet caput meum."

Tercium autem intervenire debet, hoc est corpus aliquod purum, quod accendatur, id corpora nostra debent esse pura ut in hiis oleum predictum bene infundatur et accendi possint. Ea namque purificare debemus et omnem putredinem peccatorum a nobis removeere per opera penitentie, que sunt septem, videlicet: sollicitudo, defensio, indignatio, timor, desiderium, emulatio, pena. De quibus omnibus mentionem facit Paulus, in Epistula secunda ad Corinthios, circa medium, ubi: "Que enim secundum Deum est tristitia, penitentiam," etc.

Sollicitudinem enim habere debemus emendandi quod deliquimus.

Defensionem vero debemus facere vel habere, quia nos debemus defendere a precedentibus delictis ab se.

Indignationem vero debemus habere, id indignare contra nosmet ipsos, si forte caderemus in predicta delicta vel alia peccata.

Timorem vero semper debemus habere ne forte incidamus et revertamur ad priora, quia "Beatus homo, qui semper erit pavidus." "Inicium enim sapientie est timor Domini," ut Propheta

dixit et etiam quidam philosophus dixit: "Qui timet Deum, omnia timentum; qui vero non timet Deum, omnia timet." Et alius dixit: "Timor Domini sit negotiatio tua, et veniet tibi lucrum sine labore."

Desiderium vero debemus habere semper provehi in melius.

Emulationem vero habere debemus, scilicet sanctorum, quia illos semper debemus imitari.

Penam vero debemus substinere, hoc est corpora nostra affligere vigiliis et ieiuniis et aliis operibus bonis. Etiam et si, per predicta operapenitencie, corpora nostra ita fuerint debi depurata, bene potent in hiis oleum infundi, eaque ad Dei amorem bene poterunt accendi.

Quartum etiam ad illuminationem veram est necessarium, ut dixi, videlicet ipsa accensio. Ait enim Lucas in Evangelio: "Ignem veroveni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?" Certe accendi debet ignis amoris Christi in corporibus nostris perexagitationem ipsorum corporum circa opera caritatis, ad modum facis, que semper quanto magis exagitur, tanto magis accenditur etin maiorem flamma erigitur Ysaia propheta testante, qui ait: "Cum effuderis animam tuam esurienti, et animam afflictam repleveris,orietur in tenebris lux tua, et tenebre tue erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus semper, et in splendoribus animamtuam salvabit, et ossa tua liberabit, et eris quasi ortus irriguus, et sicut fons vivus, cuius non deficiuit aque." Et iterum idem ait: "Frangepanem tuum esurienti, et si videris nudum, operi eum et, egenos vagosque induc in domum tuam: et carnem tuam non despexeris. Ettunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur." Et etiam Tobias dixit: "De tua substantia fac helemosinam, et noliavertere faciem tuam anullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini," que facies vera lux est, ut Beatus Iohannesdixit: "Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum." Et iterum idem Tobias dixit: "Quando potueris,misericors esto. Si multum tibi fuerit, habundanter tribue: si exiguum fuerit, exiguum impartiri stude. Premium enim tibi bonumthesaurizas in die necessitatis; quoniam helemosina ab omni peccato et morte liberat, et non patitur animam ire in tenebris." Et ita, ortoet accensso lumine in nobis, poterit dici esse Propheta: "De vobis lux oculorum orta est iusto, et recto corde leticia." Servire enim Deovera leticia est. Unde etiam Salomon dixit: "Lux oculorum letificat animam: et fama bona inpinguat ossa." Et etiam dici poterit cumBeato Paulo: "Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino. Ut ergo filii lucis ambulate: fructus autem lucis est in omnibonitate, et iusticia, et veritate."

Ambulare itaque debemus ita ut lumen duret nec extinguatur, quod facere possumus duobus modis, videlicet: perseverantia, et si earemo verimus a nobis, que consueverunt lumini obesse illud que extinguere; que in meo iudicio, sunt sex, videlicet: impuritas luminis,remotio luminis vel a lumine, ventus sive aura, obstaculum lumini appositum, occulatio luminis, et luminis singularitas.

De impuritate luminis satis dixi vobis.

Si autem remoti estis a lumine vel lumen a vobis nimis est remotum, ita ut non clare

videatis, servate dictum Prophete, qui ait: "Accedite ad Deum, et illuminamini: et facies vestre non confundentur." Quod facere debemus per penitentiam eiusque opera, auferendo a nobis peccata et vicia.

Ventum autem et auram, que consueverunt lumen extinguere, a nobis remove debemus. Hoc est superbiam, que vento comparatur; dixit enim Marcialis: "Etheream pacem ventosa superbia tollit" quare penitus est removenda. "Odibilis est coram Deo et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas," ut Iesus Sirac dixit, qui etiam ait: "Obiurgatio et iniurie annullabunt substantiam: et domusque nimis locuplex est, annullabitur superbia." Et Iob dixit: "Si ascenderit usque ad celos superbia, et capud eius nubes tetigerit: quasi sterquilinum in fine perdetur." Et Salomon dixit: "Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia: ubi autem humilitas, ibi et sapientia," simul cum gloria. Obstacle vero lumini oppositum est auferendum, quia, si cordia nostra fuerint a peccatis et viciis obsessa, debemus illa per penitentiam auferre atque penitus remove.

Lumen enim talis nostre nature est, quod ubique diffunditur, nisi obstacle ei opponatur. Nam sicut hostio clauso domus est tenebrosa, eoque aperto, statim, fugatis tenebris, lumen subintrat, ita Deus, qui est ad ostium cordis nostri et pulsatur, ut ipsemet testatur, dicens: "Ego sto ad ostium, et pulso." Et, si obstacle peccatorum auferatur, statim lumen Christi subintrat totumque cor ad Dei amorem illuminatur. Occultatio vero luminis remove debet, quia, ut ipse Dominus ait: "Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt." Non enim debemus abscondere lumen scientie nostre, sed omnibus, tam in dictis quam in factis, ad utilitatem conferre propter atque tribuere. Nam ut ait Tullius: Fructus ingenii atque virtutis omnisque prestantie tunc maximus capitur cum in proximum quemque confertur." Peccatum enim est ei utilia occultare. Unde scriptum est: "Invidia livet, qui recitanda silet; crimine se fedat, qui quod sapit utile celat." Et etiam dictum est: "In mundo duo sunt, que nil abscondita prosunt: fossus humi census et, clausus sub pectore sensus." Singularitas denique luminis auferenda est, quia cum scientia nostra debet omnibus lucere atque conferri. Singulariter quandoque confertur tantummodo uni parti accipiendo pars potentum, vel amicorum, et etiam pro pecunia, vel odio, vel timore, aliter iudicatur vel fit quam ratio postulat, quod est peccatum mortale, ut teges et omnia iura pro clamant. Hiis itaque sex impedimentis a lumine sublatis, verum lumen, dante Domino, poterimus habere aliisque conferre atque tribuere.

Nunc accedamus ad secundam causam proposita nostre congregationis, scilicet ad tractandum de refectione spirituali, quam hic a fratribus cum devotione recipere consuevimus. Circa quam sciendum est quod, sicut in refectione corporali habere debemus panem et aquam et alia cibaria et vinum, ita et in refectione spirituali predicta debemus habere.

Panem habere debemus, scilicet vite et intellectus, de quo legitur in libro vite Sapientie: "Cibabis illos pane vite et intellectus, et aqua sapientie salutaris potabit eos." Panis vite est panis lacrimarum et compunctio peccatorum. De quo panem dicit Propheta: "Cibabis nos pane lacrimarum: et potum dedisti nobis lacrimis in mensura?" Per hunc panem pervenimus ad panem vivum, hoc est ad Christum, qui ait: "Ego sum panis vivus, qui de celo descendi." Hunc panem manducant angeli et manducare debet homo, Propheta testante: "Panem angelorum manducavit homo: et cibaria dedisti eis in habundantia." Hunc panem qui obliviscuntur manducare arescunt, ut ait de se Propheta: "Percussus sum ut ferum et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum." Hunc ergo

panem cum affectione die noctuque magna debemus a Domino postulare, ut ipse docuit in oratione sua, dicens: "Panem nostrum cotidianum da nobis hodie." Aquam debemus habere sapientie, ut dixi, et doctrine celestis, quam aquam promisit Dominus samaritane, dicens: "Dabo tibi aquam, salientem in vitam eternam."

Vinum vero habere debemus pro compunctionis peccatis nostris. De quo vino dicit Propheta: "Potasti nos vino compunctionis." Per hoc vinum pervenitur ad merum vinum, hoc est ad celeste misterium, quod est mixtum Novo et Veteri Testamento. De hoc vinomero plenus est calix in manu Domini, ut dicit Propheta: "Hunc humiliat, hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto."

Alia vero cibaria ad plenam refectionem habere debemus, scilicet omnia verba Dei et de Deo loquentia. Nam, ut ipse ait: "Non in solopane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei." Cibi enim nostri debet esse facere et adimplere verba et voluntatem eius, qui misit nos, ut ipsemet de se dicit; ait enim: "Meus est cibus, ut faciam voluntatem eius, qui misit me."

Nunc accedamus ad terciam causam propositi nostre congregationis, hoc est ad refectionem corporalem, quam cum caritate hic consuevimus percipere. Circa quem, modum certum debemus servare ante refectionem et in refectione et post refectionem.

Ante refectionem debemus observare septem, que hiis versibus continentur: "Sit timor in dapibus, benedictio, lectio, tempus, sermo brevis, vultus ylaris pars detur egenis."

Timorem certe habere debemus, cum dapes nobis apponuntur, ne forte nimis comedamus vel in aliquo Deum offendamus, iuxta illud: "Beatus homo, qui semper erit pavidus." Si ei Adam timuisset de Paradiso ictus non fuisset.

Benedictio intervenire debet, iuxta illud: "Benedixit, et fregit."

Lectio et tempus intervenire debent, quia debemus, si religiosi sumus, facere legi ante nostram presentiam, et sacram oram terciam expectare, antequam ineamus convivia: ut de hiis duobus legitur in Decretis XLIII-dic "Non liceat."

Sermo vero brevis debet adesse, iuxta illud "in multiloquio non deesse peccatum," et etiam secundum Catonem, qui ait: "Loquere pauca in convivio."

Vultum vero ylare debemus habere secundum Beatum Paulum dicentem: "Ylare datorem diligit Deus," et iterum: "Qui misereatur in ylaritate." Et etiam iuxta dictum Iesus Sirac, qui ait: "In omni dato ylare fac vultum."

Pars quoque detur egenis, iuxta verbum Domini dicentis qui ait: "Date helemosinam, et omnia dabuntur vobis," et iuxta verbum applidicentis: "Date helemosinam: et omnia munda erunt vobis," et etiam secundum verbum sapientis, qui ait: "Quisquis es in mensa, primum de paupere pensa; nam dum pascis eum, pascis, amice, Deum; pauperis in specie nam latet ipse Deus."

In ipsa autem refectione quatuor debent abesse, multa vero adesse. Quatuor vero debent abesse, que continentur hoc versu: "Absint delicie, detractio, crapula, murmur."

Delicie debent abesse. Non enim desiderare delicias vel delicata cibaria debemus licet illis quandoque uti possimus, si absque desideriosumantur. Nam etiam viles cibi apperenter, accepti, impediunt profectum abstinentie, ut legitur in Decretis Xd-xli "Delicie."

Detractio vero debet abesse, quia non debemus detrahere cibis, nec factoribus eorum, nec alicui alii, iuxta verbum Pauli: "Neminis detrahentes."

Crapula insuper debet abesse, secundum verbum Pauli dicentis: "Non in crapula, et ebrietate."

Murmur denique debet abesse, iuxta verbum Pauli dicentis, in Epistula prima ad Corinthios: "Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore;" et secundum Salamonem dicentem: "Cavete vos a murmuratione, que nichil prodest, quoniam pensum obscurum in vacuum non ibit."

Multa vero debent adesse in refectione: nam modum servare debemus in quantitate et qualitate et in multitudine ciborum ac varietate. In quantitate, quia non debemus nimis comedere. Ait enim Seneca De formula honeste vite "Ede citra crapulitatem, bibe citra ebrietatem. Victus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem, sed ad cibum accedas. Palatum tuum fames excitet, non sapor." "Hanc ergo sanam et salubrem vite tene formam, ut tantum corpori indulgeas quantum bone valitudini satis est," ut idem in Epistulis dixit.

In qualitate vero debemus modum servare, quia non debemus curare qualia sint cibaria, sed, si videntur nobis dura vel non bene condita, famem debemus expectare, secundum Senecam, qui ait in Epistulis: "Fames reddet malum panem bonum et tenerum et ideo non est ante edendum quam illa imperet."

In multitudine vero ciborum et varietate debemus modum servare. Ut ait Iesus Sirac: "Noli esse avidus in omni epulatione, ne effundas te super omnem escam." In multis enim escis erit infirmitas; sic et de potu idem dixit: "Sanitas est corporis et anime sobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem et iram et ruinas multas facit." Et Seneca in Epistulis dixit "bone valitudini contraria esse alimenta varia et nostris corporibus aliena."

Predicta denique servando, poterimus turpem paupertatem vitare, sanitatem servare et iram Dei fugere.

Paupertatem turpem fugiemus, quia, ut ait Iesus Sirac: "Qui diligit epulas, in egestate erit." Et iterum idem dixit: "Pessima est paupertas, que a gula procedit," et iterum: "Qui amat vinum et pingua, non ditabitur," et rursus: "Operarius ebriosus non locuplectabitur: et qui spernit modica, paulatim decidet."

Iram vero Dei poterimus sic fugere, quia irascitur Deus pro huic gulositatibus, ut Propheta dixit: "Manducaverunt, et saturati sunt nimis. Et adhuc esce eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos."

Sanitatem vero sic poterimus conservare, quia, ut ait Iesus Sirac: "Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, ad adiungensibi vitam," et habebit censum salutis corporis, qui est super omnem censum. Nam, ut idem ait: "Non est census super censum salutis corporis: nec est oblectatio super cordis gaudium." Vitare itaque debemus comestiones, crapula, ebrietates nimias et maximas et frequentes comestiones ac delicatas. Hec namque gravant stomachum, turbant sensum, opprimunt intellectum, ventrem commovent, guttas inducunt, et per anum et os fetidum flatum et horribilem sonum emittunt, oculos lacrimosos faciunt, catarum inducunt, nares et os et aures faciunt fetore atque putredine habundare. Et per hoc insuper acquiritur peccatum, luxurie, Deus offenditur. Hec, denique, substantias minuunt, honores tollunt, corpus simul cum anima post multas infirmitates ad inferna perducunt.

Post refectionem, denique, modum servemus, qui in hoc versu continetur: "Sumptoque cibo, reddatur gratia Christo," ut in Decretis inpredicta di xliiii c "Non liceat."

Predicta servantes cum devocione, dante Domino, poterimus refici ad mensam Christi, in regno Dei, ad quod ille nos conducat, qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Sermo II

Incipit Sermo secundus, quem Albertanus, causidicus brixienensis, composuit inter Fratres Minores et causidicos brixienenses, in congregatione, quam faciunt more solito.

In nomine Domini amen. Fratres mei, ad honorem Dei et refectionem pauperum, more solito congregati sumus. Ut ergo Deus honoretur propter nostram congregationem et refectio nostra plena sit, antequam accedamus ad corporalem refectionem, animas nostras reficiamus de cibis spiritualibus, nobis ministris Propheta dicentem: "Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus." Ad intelligentiam huius versus multa sunt notanda. In primis, quid sit intelligere super egenum et pauperem. Secundo, qui dicuntur egeni et qui pauperes. Tercio, quot et quibus modis super egenos eos intelligere debeamus. Quarto, quare hoc debeamus facere. Quinto, quae premia inde consequi debemus.

Intelligere, hoc est intus legere, id in corde factum pauperis vel egeni apponere. Sic etiam dicitur misericordia fratrum, miseri in corde apponere. Egeni dicuntur qui indigent aliquibus necessariis, sic dicti ab: egeo, eges. Et ita multum divites quandoque egere possunt, Propheta testante, qui ait: "Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono." Pauper verodicitur parum habens, vel parum portans, et dicuntur pauperes pluribus modis. Dicuntur enim quandoque pauperes spiritu, de quibus Dominus ait in Evangelio: "Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum." Dicuntur etiam pauperes de substantia huius mundi, de quibus Dominus in Evangelio dicit: "Pauperes semper vobiscum habebitis vobiscum: me autem vero semper non habebitis." Inopes autem dicuntur sine opibus, vel qui nichil habent. Sive ergo egeni sint, sive pauperes spiritu, sive pauperes de substantia huius mundi, sive inopes, super omnes intelligere debemus, Apostolo testante, qui ait in Epistula ad Galatas: "Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei." Nunc videamus quot et quibus modis super egenos et pauperes intelligere debemus. Et certe omnibus sensibus nostris super eos debemus intelligere et specialiter septem sensibus principalibus, quorum duo dicuntur sensus anime, videlicet: intellectus et affectus, alii vero dicuntur sensus corporei, qui sunt quinque, videlicet: visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. De quibus singulis dispiciamus. De intellectu. Debemus intendere intellectum super egenos et pauperes, quia cum eis benefacimus, debemus intelligere quid faciamus et debemus hoc facere bono intellectu et bona intentione, non ex vanagloria. Ait enim Dominus in Evangelio: "Cum facis elemosinam, noli tuba canere, sed in abscondito, ut nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi." Et Martialis dixit: "Tu quoque communis meretricibus et parasitis quicquid habens perdis, perderis ergo miser."

De affectu. Affectu etiam debemus intelligere super egenos et pauperes, quia, cum illis benefacimus, cum bona voluntate et magna affectione et liberalitate hoc facere debemus, non triste neque ex necessitate. "Vltimum enim daturum diligit Deus," ut Beatus Paulus ait, in Epistula sua ad Corinthios. Et etiam Martialis dixit: "Si donas tristis, et dona et premia perdis. Attollunt vltima vilissima munera vultus." Vultus sublustres maxima deiciunt. Et etiam alius dixit: "Da faciem letam! Sine leticia faciem si dederis, perdis rem, meritum rei." Et etiam si Iesus filius Sirach dixit: "In omni dato vltimum fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas." Non ex necessitate, dixi,

quia, ut ait Augustine: "Qui dat ut careat tedio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et rem perdit et meritum." Similiter: "Qui dat pauperi propter presentem pudorem, non habet mercedem." Coacta enim servicia Deo non placent.

De visu. Visu etiam debemus intelligere de visu super egenum et pauperem, oculis corporeis et oculis mentis sive cordis. Oculis corporeis debemus intelligere super eos, ad exemplum Domini, de quo dicit Propheta: "Oculi eius in pauperem respiciunt: et palpebre eius interrogant filios hominum." Libenter enim debemus in eos inspicere et eorum misereri, alioquin caritas Dei in nobis non esset. Nam, ut ait Beatus Iohannes, in Epistula sua: "Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clausit viscera misere sue ab eo: quomodo caritas Dei est in illo?" Et etiam in Decretis dictum est: "Si videris fratrem tuum morientem fame et non paveris, occidisti." Nec debemus oculos nostros vel faciem nostram avertere a pauperibus. Dixit enim Iesus Sirac: "Fili, helemosinam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne advertas a paupere. Et animam esurientem ne despexeris: et non exasperes inopia sua." "Ab inope non advertas faciem tuam propter iram: et non relinquo querentibus te retro maledicere." Et Tobias dixit filio suo: "Fili, de tua substantia fac helemosinas, et non avertas faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut non avertatur a te facies Domini." Oculis vero cordis vel mentis debemus intelligere super egenos vel pauperes quia, licet non videamus eos in presenti, et licet in proverbio dictum sit: "Qui procul est ab oculis, procul est a lumine cordis," tamen eos semper in corde ac memoria habere solite debemus, ad exemplum Apostoli, qui dixit, in Epistula ad Galathas, quod Cephas, et Iacobus, et Iohannes dederunt sibi et Barnabae extras societatis: et addiderunt: "ut pauperum essemus memores, quia ipsum sollicitus fui facere," in memoriam pauperum habere.

De auditu. Auditum debemus super egenos et pauperes intelligere et desideria eorum in delli exaudire, ad exemplum Domini, de quo dicit Propheta: "Desiderium pauperum exaudivit Dominus: et preparationem cordis eorum exaudivit auris tua." Nec debemus obturare aures nostras ad clamorem pauperum. Ait enim Ysaia: "Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, ipse clamabit, et non exaudietur." O quam durus sermo, quando audimus pauperes cotidie clamantes, ad quorum clamorem obturamus aures nostras! Sed licet durus sit sermo, tamen rationabilis. Deus enim de divite se pauperem fecit et loco pauperum se quam dui uni constituit, dicens: "Quamdiu uni ex minimis istis fecistis et, mihi fecistis," et: "Qui pascit pauperem, pascit Deum." Unde dictum est: "Quisquis es in mensa, primum de paupere pensa; nam dum, pascis, amice, Deum; pauperis in specie nam latet ipse Deus." Si ergo, dum pauper clamat, Deus clamare intelligitur et nos non exaudiemus eum clamantem, quare ipse nos clamantes exaudire deberet? Certe ipse rationabiliter non debet non exaudire nisi de misericordia sua hoc faciat.

De gustu. Gustum etiam super egenos et pauperes intelligere debemus, quia de eo, gustare debemus, nobis subtrahendo, illis quandoque debemus largiri. Nam, ut ait Seneca in Epistulis: "Magna laus est naufrago manum porrigere, eranti viam mostrare, cum esuriente panem suum dividere." Et Ysaia dixit: "Frange esurienti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam: si videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris." Nulla enim ex causa Deus melius cognoscitur quam per fractionem panis ad helimosinam faciendam, quod Deus manifeste ostendit nobis. Cum Iesus appropinquasset, post resurrectionem suam, discipulis euntibus ad castellum, qui dicitur Emaus, exponebat eis Scripturas, incipiens a Moyse et Prophetis. Ipsi vero non cognoscebant eum, licet cum eo cotidie conversati fuerant. Cognoverunt tamen illum in fractione panis, quasi daret eis manifeste intelligere quod Deus numquam melius cognoscitur nec oculi

hominum melius ad Dei cognitionem aperiuntur, quam per fractionem panis, ad helimosinam faciendam.

De odoratu. Odoratu eciam debemus super egenos et pauperes intelligere, in orationibus nostris. Et quod orationes odoramenta dicuntur, habemus in Apocalypsi, ut Sanctus Iohannes dicit quod vidit: "Viginti quatuor seniores, habentes singuli citharas, et fiales aureas odoramentorum plenas, que sunt orationes Sanctorum." Quare eciam Apostolus dixit: "Christi enim bonus odor sumus." Et eciam dictum est: "Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo." Nam, sicut incensum bonum odorem prestat hominibus, ita oratio bona bonum odorem reddit Deo. Orare itaque debemus ad Dominum pro eis, ut Dominus eruat illos de tribulationibus eorum. Multum enim valet oratio iusti assidua apud Deum. Nam et Ecclesia pro Petro sine intermissione orabat." Orare eciam pro eis debemus presentes et circumstantes, eosque orari ut, cum vos illis benefacitis, et ipsi de suo aliquid eis tribuant, et etiam super vos illis non tribuitis, illi saltem aliquid largiantur. Orare eciam debemus, pro egenis et pauperibus, presides et divites et consules iusticie et aliorum iurisdictionem habentes et in causis eorum libenter assister. Quod nos causidici plerumque male facimus; libentius enim oramus in causis divitum pro pecunia, quam in causis Dei et pauperum pro vita eterna, quod esse non deberet.

De tactu. Rubrica. Tactu eciam debemus intelligere super egenos et pauperes, ad exemplum Domini. Nam, cum Dominus descendisset de celo monte, occurrit ei quidam leprosus, dicens: "Domine, tu potes me mundare," at ille dixit: "Volo. Mundare," et tetigit eum et mundatus est." Et eciam oculos cecis linivit de luto, facto exputo, et sanavit eum. Si ergo Dominus celi non est dedignatus tangere tam turpes pauperes, ut est leprosus et cecus, nec nos miseri dedignari debemus tangere quoslibet pauperes. Libenter itaque debemus illos tangere et de lecto ad lectum transportare et ad necessaria illos adiuvere et eciam cecis porrigere manum quandoque, et etiam, ad exemplum levite, vulneratos super iumentum illo adiuvere et commendare illos stabulario. Et licet tetigerim vobis istos septem modos et sensus principales, quibus debemus intelligere super egenos et pauperes, multi super tamen sunt sensus et modi, quibus super eos intelligere possumus et debemus, scilicet: misericordia et benignitas, humanitas, scientia, et alii multi, de quibus non oportet ad presens disceptare. Non ergo se excuset aliquis ab elemosina, dicens: "Non habeo quid tribuam pauperibus." Nullus enim est in mundo, qui non possit intelligere super egenos et pauperes aliquo ex predictis modis, alioquin Deus mendax esset, qui dixit: "Pauperes semper habebitis vobiscum" et cum volueritis, poteritis illis benefacere. Si quis ergo vult, illis benefacere potest, et si non benefacit aliquis pauperibus, non deest illi facultas, sed voluntas. Si ergo non habet aliquis aurum vel argentum vel substantiam huius mundi, tribuat illis orationem, bonam voluntatem, compassionem, et dicat cum Apostolo: "Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego uror?" Et dicat quod Beatus Petrus dixit claudio "Aurum, et argentum non est michi: quod autem habeo, tibi do." Nam, ut Apostolus ait in Epistula secunda ad Corinthios: "Si voluntas quidem prompta est, secundum id, quod habet accepta est, et non secundum id, non habet. Non autem ut aliis sit consolatio, vobis autem tribulatio, sed ex equalitate. In presenti, nostra habundantia aliorum inopiam suppleat: sicut et aliorum habundantia nostre debet esse inopie supplementum."

Secundum vires et facultates, pauperibus largiri debemus. Ait enim Salomon: "Ante mortem bene fac amico tuo, et secundum vires exporrigens da pauperi. Nonne alii reliques labores tuos?" Faciamus itaque quod dixit Tobias filio suo: "Quomodo potueris, misericors esto. Et si multum tibi fuerit, habundanter tribue: si autem exiguum, eciam illud exiguum impertiri stude." Nam ut Seneca

Debeneficiis dixit: "Sic dabo egenti, ut ipse non egeam; sic dabo perituro, ut ipse non peream." Et Cato dixit: "Sic bonus esto bonis, nec temala dampna sequantur." Non enim requirit Deus ab homine aliquo ultra posse: nam regnum Dei tantum valet quantum habes. Eteciam videtur Deus plus gaudere de parva helemosina, data in paupertate, quam de magna, data in divitiis. Unde Lucas in Evangelio dixit quod Iesus stabat circa gazophilatium, aspiciens turbam in gazofiliatio, et multi divites iactabant multa, et una vidua pauperulamisit duo minuta in gazofiliatio. Iesus autem, convocans discipulos suos, ait: "Amen, dico vobis, hec vidua paupercula plus misit omnibus, qui miserunt in gazofiliatio, quia illa ex habundantia sua, hec autem de paupertate totum victum suum." Et etiam secundum proverbium: "Gaudet de paucis Deus oblectatur in ipso."

Nec excuset aliquis ab elemosina, dicens con: "Ego sum in mortali peccato et, si totam meam substantiam distribuero in cibis pauperum, caritatem autem non habeam, nichil mihi prodest." Tamen elemosine facte extra caritatem, id dum quis est in mortali peccato. Ad multa prosunt, enim: ad bonum nomen, de quo Salomon dixit: "Melius est nomen bonum, quam divitiae multe," et Iesus Sirach dixit: "Curam habere de bono nomine: hoc enim magis tibi durabit, quam mille thesauri magni et pretiosi."

Prosunt etiam ad minorem penam, quia nullum bonum irremuneratum. Prosunt etiam ad habilitationem gratiae, ut citius illustret Deus cor hominis. Multos enim Sanctos illustratos legimus propter elemosinas, quas faciebant ante, cum non essent ita boni. Ut de Cornelio centurione legitur in Actibus Apostolorum, cui Angelus dixit: "Elemosine tue commemoratae sunt coram Deo." Et de Tobia et de Sancto Eustachio et de multis aliis sanctis legitur.

Prosunt etiam ad augmentum divitiarum et etiam in hoc mundo, ut Salomon in Proverbiis ait, dicens: "Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum: et implebuntur horeae tuae saturitate, et vineae torcularia tua redundabunt." Non enim decrescit substantia hominum propter copiam elemosinarum, imo semper crescit et augetur. Nam, sicut quando lucet candela et ardet et lumen ab ea sumitur, lumen primae candelae non minuitur, sed duplicatur, ita substantia hominum non minuitur per sed augetur datum elemosinarum, quod possumus manifeste cognoscere per exempla divina. Dominus enim noster Iesus Christus, cum vidisset turbam, quae secuta fuerat eum in deserto, miseritus fuit super eam, dicens: "Si dimisero eos ieiunios, in via deficient." Et, volens facere elemosinam de sua substantia, ab eo creata, pavit quinque milia hominum, exceptis parvulis et mulieribus, de quinque panibus et duobus piscibus. Elemosina Domini ita facta, substantia Domini ab eo creata in tantum crevit et habundavit, ut ex reliquis fragmentorum, quae superfuerant, et habundaverant, duodecim cophani replerentur. Similiter substantia Domini habundavit et crevit quando pavit quatuor milia hominum, exceptis parvulis et mulieribus de septem panibus et pisciculis paucis et ex reliquiis, quae superfuerunt septem porte collectae sunt fragmentorum plene. Possumus etiam cognoscere quod divitiae hominum non minuuntur propter elemosinas, per multa exempla humana. Nam multas bonas domos vidimus, quarum divitiae habundavissent et creverunt. Quando elemosine in eis habundabant et habundanter fiebant; elemosinis autem per avariciam subtractis, bona illarum domorum sunt penitus annihilata et destructa.

Si ergo elemosine facte extra caritatem ad tot et tanta valent et prosunt, bene dixit Augustinus: "Interim dum malus es, fac quicquid boni potes." Nec dicat quis: "Ego habeo filios vel

parentes, quibus volo relinquere." Nam, qui helimosinas non facit, plus alium quamse diligit, et, alii relinquendo, nichil sibi penitus reservat, quod est magna dementia. Ait enim Seneca in Epistulis: "Magna dementia estheredis sui negotia procurare et sibi omnia denegare ut sibi ex amico faciat inimicum magna hereditas: quantum plus de tuo receperit,tanto magis de tua morte gaudebit." Et Dominus in Evangelio per Matheum dicit: "Qui diligit patrem, aut matrem plus quam me, non est dignus me: et qui diligit filios, aut filias plus quam me, non est dignus me."

Nunc videamus quare super egenos et pauperes intelligere debemus. Et certe quia Dominus nobis eos derelinquit, Propheta testante,qui ait: "Tibi derelictus est pauper: et tu orphano eris adiutor." Licet enim Psalmus ille loquatur de Deo, tamen vicarius Dei et cuilibetqui est in Ecclesia dictum est: "Tibi derelictus est pauper." etc. Si igitur Deus pauperes nobis derelinquit, refugium eorum esse debemus et adiuvere illos in tribulationibus suis, ad exemplum Domini, de quo Propheta dicit: "Factus est Dominus refugium pauperum,adiutor in oportunitatibus, in tribulatione." Et liberare debemus pro posse pauperes a potentibus, ad exemplum Domini, de quo dicitPropheta quia "liberavit pauperem a potente: cui non erat adiutor." Et debemus exurgere propter miseriam eorum in illorumadiutorio, ad exemplum Domini, de quo dicit Propheta: "Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, dicitDominus." Et si forte pauperes aliquid abstulerunt nobis, propter illorum paupertatem, debemus illis parcere, ad exemplum Domini, dequo dicit Propheta: "Parcet pauperi, et inopi: et animas pauperum salvas faciet."

Alia eciam ratione super egenos intelligere debemus, quia, illis largiendo, Deo tribuimus, ut supradictum est.

Tercia insuper ratione hoc facere debemus, quia, pauperibus largiendo, non tantum illis vel Deo damus, sed eciam nobis reservamus.Bonum est enim helemosine donum, quod, cum datur, nobis reservatur et in thesauris Dei nobis reconditur, ipsomet dicente:"Thesaurizate vobis thesaurum in celo: ubi neque erugo, neque tinea demolitur." Et eciam Marcialis dixit: "Qui iustis sanctisque viris,Tigiline, ministrat, sumit ubi donat, spargit et accumulatur." Et Salamon in Proverbiis dixit: "Fenerator, qui miseretur pauperis: etviciissitudinem suam reddit." Denique infinite sunt rationes, quibus predicta facere debemus in quibus non oportet ad presens insistere.

Ultimo audiamus premia, que, propter predicta, consequi debemus, et certe innumerabilia et infinita. Nam, hec facientes, erimus beatiet "in die mala liberabit nos Dominus," ut hic dicit; hoc est in die iudicii, que erit malis et bona bonis. Nulla enim dies per se mala est,sed omnes dies boni sunt, ut in Genesi legitur, quando "divisit Deus lucem a tenebris" et fecit diem et noctem. Dicit enim ibi quod Deusvidit opera sua, que erant valde bona. Sed dicuntur dies mali propter maliciam et miseriam hominum. Unde Dominus dixit inEvangelio: "Sufficiat huic diei malicia sua." Et Apostolus, in Epistula Secunda ad Hephesios: "Reddimentes tempus, quoniam dies malisunt." Nam, ut ait quidam philosophus: "Nichil est homini bonum sine se bono." Et erimus iocundi, Propheta testante, qui ait:"Iocundus homo, qui miseretur, et commodat: disponet sermones suos in iuditio: quia in eternum non comovebitur."

Et helemosine pro nobis exorabunt ad Dominum. Unde Yesus Sirac dixit: "Conclude helimosinam in cor pauperis, et hec exorabit preab omni malo." Et eciam resistent peccatis nostris

helemosine, ut idem ait: "Ignem ardentem extinguit aqua, sic helemosina resistit peccatis." Et etiam ut ait Tobias filio suo: "Dando tibi helimosinam, premium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam helemosina ab omni peccato et morte liberat, et non patitur animam ire in tenebris." Fiducia magna erit coram summo Deo elemosina omnibus qui faciunt eam. Et etiam non indigebimus, Salamone testante, qui ait: "Qui dat pauperibus, non indigebit: qui autem despicit deprecantem, sustinebit penuriam."

Et etiam habebimus bona, que narrat Ysaïas, dicens: "Cum effuderis animam tuam esurienti, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebre tue erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus semper, et in splendoribus animam tuam salvabit, et ossa tua liberabit, et eris quasi ortus irriguus, et sicut fons vivus, cuius non deficiunt aque." Quid plura? Non possem beneficia, que consecuturi sumus enarrare, nec lingua mea tibi aliqua tenuis explicare. Nam, ut idem Ysaïas dicit: "Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta preparavit Dominus diligentibus se."

Hoc denique notabile est et plus quam notabile, quod helimosina est summum bonum in homine. Nam, sicut in templo Domini omnes parietes ad unum lapidem reducuntur et sub illo lapide clauduntur, de quo lapide mentionem facit Propheta, dicens: "Lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli," ita et omnia et opera hominum reducuntur ad helimosinam et sub ea clauduntur.

Plus etiam dico vobis, quia sola datio elemosinarum videtur esse datio quare Dominus det nobis regnum eternum, et sola denegatio elemosinarum est ratio quia Dominus det nobis eternum supplicium. Quod possumus videre aperte per Evangelium Domini. Nam, in ultima sententia, quam daturus est Dominus in die iudicii, dicet bonis, qui erunt ad dexteris: "Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi." Et reddet rationem, quare dicit: "Namque esurivi, enim et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis michi bibere: nudus fui, et opuistis me: hospes fui, et collegistis me: infirmus et in carcere fui, et visitastis me," nec dicet: "Quia fuistis sobrii, casti, humiles, et devoti, continentes, mites, vel talia bona fecistis," sed tantummodo rationem elemosinarum redens, dicet: "Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc." Similiter, et converso, dicet malis, qui erunt a sinistris: "Ite, maledicti, in ignem eternum" et reddet rationem, quare dicens: "Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi bibere: nudus fui, et non cooperuistis me: hospes fui, et non collegistis me: in carcere et infirmitate fui, et non visitastis me." Nec reddet aliam rationem. Non enim dicet: "Quia fuistis latrones, fures, homicide, falsarii, blasphemii, symoniaci, luxuriosi, incontinentes, immites, superbi, invidi, vel quia talia mala fecistis." Sed tantummodo rationem helemosine sibi vel pauperibus denegate pretendet, dicens: "Esurivi enim, et non dedistis michi manducare, etc."

Si ergo helemosine datio vel denegatio est ratio quare Deus daturus est vitam hic eternam vel denegaturus nobis, sollicite super egenos et pauperes ita intelligere debemus, ut simus beati et in die mala liberet nos dicatque nobis; "Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi," ad quod ille nos conducat, qui sine fine vivit et regnat. Amen. Amen.

Sermo III

Sermo factus ad cognoscendum que sint in convivio necessaria et quomodo debeamus intelligere super egenos et pauperes, secundum Prophetam dicentem: "Beatus qui intellegit super egeneum et pauperem. In die mala custodiet eum Dominus."

"Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam." Congregatio nostra sit in nomine Domini, qui ait: "Ubi cumque duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego ibi sum." Ad convivium, fratres, more solito congregati, quatuor inspicere debemus: in primis, quid sit convivium; secundo, qualiter nosmetipsos ad convivium preparare debeamus; tertio, quos debeamus ad convivium invitare; quarto et ultimo, que sint ad convivium necessaria preparare.

"Convivium est coagulum amicitie inter bonos, inter malos autem dissensio," ut quidam philosophus dixit. Ad hoc ergo, ut amicitia nostra coaguletur bonis et inter bonos, oportet nos bonos esse et sic ad convivium nosmetipsos per bonitatem preparare, alioquin convivium nobis bonum non esset. Nam, ut quidam philosophus dixit: "nichil est homini bonum sine se bono."

Preparatione vero de nobis ipsis ad convivium facta. Circumspiciendum est, cum quibus edatis aut bibatis? Nam ut Seneca ait: "An est circumspiciendum cum quibus edatis aut bibatis. Nam sine amico epulatio bene leonis ac lupi vita est." Et Propheta etiam dixit: "Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam."

Non enim cum omnibus indifferenter est comedendum. Nam dixit Beatus Paulus in Epistula: "Si is, qui nominatur frater inter vos, est fornicator, aut avarus, aut ydolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum cuiusmodi nec cibum sumite." Invitare ergo debetis ad convivium vestrum bonos et pauperes secundum verbum Domini dicentis: "Cum facis prandium aut cenam, noli invitare amicos, aut cognatos: sed pauperes, aut debiles," ut habeas retributionem a Domino. Recte igitur fecistis, invitando istos pauperes Minores ad convivium vestrum. Nam per ipsos Deum invitastis, ipso dicente: "Quamdiu uni ex minimis istis fecistis, et michi fecistis," et illos pascendo pascitis Dominum. Unde quidam sapiens dixit: "Quisquis es in mensa, primum de paupere pensa; nam dum pascis eum, pascis, amice, Deum; et pauperis in specie nam latet ipse Deus."

Libenter itaque debetis istos pauperes et alios convocare et pascere et de vestra habundantia illis largiri, ut per preces et orationes suas recipiat vos in eterna tabernacula, secundum verbum Domini dicentis: "Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: qui recipiant vos in eterna tabernacula." Bonum est enim elemosine donum, quod, cum donatur, nobis reservatur et in thesauris Dei nobis reconditur, Domino dicente: "Thesaurizate vobis thesaurum in celo: ubi neque erugo, neque tinea demolitur." Et etiam Marcialis dixit: "Qui iustus sanctisque viris, Tigiline, ministrat, sumit ubi donat, spargit et accumulatur. Qui vero indignis, bis munera prestita perdit, et quum donat, donat et inmeritis. Tu quoque communis meretricibus et parasitis quicquid habes perdis: perderis ergo, miser." Intendatis itaque super istos et alios egenos, ut sitis beati et non commoveamini in eternum, secundum verbum Prophete dicentis: "Beatus, qui intelligit

superegenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus." Et alibi: "Iocundus homo, qui miseretur, et comodat: disponet sermonessuos in iudicio: quia in eternum non commovebitur."

Ultimo, ut dixi, ea que sunt ad convivium necessaria preparare. Et certe, arbitrio meo, ad convivium sunt necessaria tria generaferculorum: primum quidem de cibis spiritualibus, quibus alatur anima; secundum de cibis corporalibus, quibus corpora sustententur;tercium de cibariis mixtis, que simul prosint anime et corpori. Frater itaque noster, qui post me locuturus est, propinabit nobis ferculumde cibis spiritualibus. Propheta vero mandat vobis ferculum de cibariis mixtis, que, si diligenter fuerint a vobis sumpta atque digesta,multum vobis proderunt corpori et anime, cum dicit: "Si vere utique iusticiam loquimini: recte iudicate filii hominum." In hoc versuprophetico quolibet verbum per se notabile est. Unde quinque valde utilia notari possunt videlicet: locutio, veritas, iusticia, iudicium etper quos iusticia et iudicium debeat exerceri.

Circa illud verbum "loquimini" scire debetis quod locutio ad ab ore procedit atque lingue artificio exercetur. Ad hoc ergo, ut locutionostra bona et recta utilisque sit, ori nostro debemus apponere custodiam frenoque recto illud coartare. Unde Propheta rogavitDominum, dicens: "Appone ori meo custodiam, et hostium circumstancie labiis meis." Et in Ecclesiaste legitur: "Aurum tuum, etargentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos. Et attende, ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectuinsidancium tibi, et sit casus tuus insanabilis in morte." Freno itaque ori imposito, quia in proverbio dicitur: "Osse caret lingua, sedfrangit dorsa, maligna." Et eciam de omni ocioso verbo redituri sumus rationem. Et quia eciam a Sapiente dicitur: "Mors et vita inmanu lingue," domanda est lingua prout est possibile et coerenda atque refrendanda, Ideo dixi prout possibile est linguam foredomandam, quia ad plenum nemo linguam suam domare potest, Beato Iacobo hoc testante, qui ait in Epistula sua: "Natura bestiarumserpentum, ac volucrum, et ceterorum domantur, et a natura humana domita sunt: linguam autem suam nemo domare potest." Sedlicet domari non possit, coerenda tamen est. Unde Beatus Petrus, in Epistula sua prima, dixit: "Qui vult vitam diligere, et videre diesbonos, coerceat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatuream." Idem et Propheta dixit: "Compescenda est eciam lingua," ut Cato ait: Virtutem primam puto compescere linguam: proximus estille qui Deo qui scit ratione tacere." Refrenanda est eciam lingua, ut taceat. Nam, ut ait Sapiens: "Tacere qui nescit, nescit loqui." Nescitergo stultus loqui, quia tacere nescit. Unde quidam sapiens, interrogatus cur tantum taceret, an quia stultus esset, respondit: "Stultus nonpotest tacere." Salomon tamen dixit: "Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur." Moderate tamen loqui et tacere debemus; undePamphilus dixit: "Nec nimium taceas nec verba superflua dicas."

Refrenanda eciam est lingua ut non sit verbosa. Nam, ut ait Sapiens: "Verbosa lingua malitie indicium est." Refrenanda eciam estlingua ut sit verax et non mendax, secundum verbum Domini dicentis: "Sit sermo vester: est, est: non, non," quod amplius est, a maloest. Refrenanda est eciam lingua ut sit tarda ad respondendum et loquendum, et non velox. Nam dixit Sanctus Iacobus: "Esto velox адаudiendum: tardus vero ad loquendum, et tardus ad iram." Et Salomon ait: "Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stulticia magissperanda est, quam illius corectio." Et alibi: "Qui prius respondit, quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum." Itemrefrenanda est lingua ut sit dulcis et bene loquatur. Nam, Salomon ait: "Verbus dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos." Et eciamquidam alius dixit: "Principium amicitie est bene loqui, maledicere vero exordium inimiciciarum." Et Pamphilus dixit: "Excitat etnutrit facundia dulcis amorem." "Lingua

enim eucharis gratiosa, in bono homine habundat," ut Salomon ait. Refrendanda insuper est lingua ut sit molis et moles proferat responsiones. Nam, ut Salomon dixit: "Mollis responsio frangit iram: sermoque durus suscitatur furorem." Refrenanda est insuper lingua ut non proferat inania verba. Ait enim Seneca De formula honeste vite: Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut doceat, aut consoletur, aut precipiat, aut moneat." Refrenanda est etiam lingua ut non proferat turpia verba, vel inhonesta. Nam ut Apostolus ait: "Turpia colloquia bonos mores corumpunt." Et Seneca dixit: "A verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit." Et Socrates dixit: "Que facere turpe est, ea nec dicere honestum puto." Refrenanda est etiam lingua ut non certet de ea re, que non molestat. Ait enim Salomon: "De ea re, que non molestat, ne certaveris." Refrenari etiam debet lingua ut non loquatur obscura vel ambigua, sed clara et aperta. Nam, ut ait Sapiens: "Sanctus est mutum esse quam, quod nemo intelligat, dicere." Sic denique linguam refrenare debemus, ut nostros sermones nostrasque locutiones ad sanctum Dei servicium valeamus exercere.

Hiis auditis circa illud verbum "loquimini," accedamus ad illud verbum ubi dicit "vere." Si loquimini, fratres, vere loqui debetis et veritatem et de veritate. Quid est veritas? Ecce Dominus noster Iesus Christus, in passione sua interrogatus per Pilatum: "Quid est veritas?" Noluit respondere, dando nobis intelligere quod non semper, ad omnem, veritatem respondere debemus. Nam penitentie et alia archana et secreta nobis commissa, non sunt propalanda, nec de hiis loqui debemus nec respondere. Nam et Apostolus ait: "Vidi archana Dei, que non licet homini loqui." Et Salomon dixit: "Qui ambulat fraudulenter, revelat archana: qui autem fidelis est, celat animi vel amici commissum." Et alius sapiens dixit: "Sepultus apud te sit sermo: quem tu solus audieris." Et alius dixit: "Quod secretum esse vis, nemini dicas." De hiis ergo loqui non debetis, sed, si loquimini, veritatem loqui debetis. Quid est veritas? Certe Deus veritas est, ut ipse dicit in Evangelio: "Ego sum via, veritas, et vita." Et Propheta testatur, dicens: "Veritas de terra orta est, et iusticia de celo prospexit." De terra, hoc est de Beata Virgine Maria. Et verba Domini veritas sunt. Unde Propheta ait: "Omnia mandata tua veritas." Et via Domini veritas dicuntur. Unde idem Propheta dixit: "Universe via Domini, veritas." Veritas, ergo post Deum est collenda, que sola homines proximos facit. Cum et ipse Deus veritas sit, veritatem loqui debetis, mendatio penitus fugato. Nam, ut ait Dominus: "Diabolus est mendax, et pater eius" et "Os, qui mentitur, occidit animam." Et Salomon dixit: "Potius diligendus est fur quam assiduus in mendatio," et, "Linguam mendacem odit Dominus, et seminantem inter fratres discordiam."

Breviter tactisque audistis super illo verbo "vere," accedamus ad tertium notabile, ubi dicit: "Iusticiam vere utique loqui debetis." Iusticiam circa iusticiam scire debetis quod iusticia Deus est. Unde propheta dixit: "Iusticia de celo prospexit." Commendavit etiam Tullius iusticiam, dicens: "Iusticia est omnium domina et regina virtutum." Idem etiam ait: "Nichil est honestum, quod iusticia vacat." Quare idem dixit: "Nullum tempus est, quod iusticia vacare debeat." Idem etiam ait iusticiam in omnibus fore necessariam. Nam hiis, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, iusticia ad rem gerendam necessariam est; cuius tanta vis est, ut nec illi, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine aliqua particula iusticie vivere. Nam ille, qui archipirata dicitur, nisi aequaliter predam disperciat aut interficitur a sociis aut relinquitur. "Iusticia sine prudentia multum poterit, sine iusticianil valet prudentia." Quare etiam Dominus dixit: "Sapiencia huius mundi stulticia est apud Deum," de sapiencia enim dixit, que caret iusticia. Pro vera utique iusticia pugnare debemus. Nam dixit Ihesus Syrac: "Pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iusticia, et Dominus expugnabit pro te inimicos tuos." Et definiit Tullius iusticiam, dicens: "Fundamentum est perpetue commendationis et fame iusticia, sine qua nichil potest esse laudabile." Seneca vero De formula honeste vite definiit iusticiam, dicens:

"Iusticia est nature tacita conventio, in adiutorium multorum inventa." In Moraliū, vero, dogmate difinitur: "Iusticia est virtus conservatrix humane societatis et communis utilitatis." Secundum vero leges diffinitur: "Iusticia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuens." "Partes vero iusticie sunt: non violare homines, verecundie non offendere," ut idem Tullius dixit. Si iusticia ergo talis est ut supra dicitur et difinitur, iusticiam vere loqui debetis et precepta iuris, que a iusticia oriuntur, observare, que sunt hec: "Honeste vivere, alium non ledere, suum cuique tribuere." Et si hoc feceritis iusti eritis, scientes quod: "Si hec feceritis quia nemo iustus esse potest, qui mortem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea, que sunt hiis contraria, equitati anteponit," ut idem Tullius dixit. Et eritis beati, secundum verbum Prophete dicentis: "Beati, qui custodiunt iudicium, et faciunt iusticiam omnitempore."

Hiis itaque prenotatis, super illo verbo "iustitiam," videamus que sint dicenda super quarto notabili, ubi dicit: "recte iudicate." Et certe hoc verbum "iudicate" imperative modi est. Imperat ergo Propheta recte iudicare, sed Dominus videtur in Evangelio contrarium dicere. Ait enim: "Nolite iudicare, et non iudicabimini: nolite condemnare et non condemnabimini." Numquid ergo erit contrarium verbum Domini dicto Prophete? Absit, si ea attenderitis, que sunt in iudicio necessaria: et certe, meo arbitrio, septem sunt in iudicio principaliter necessaria, videlicet: scientia, iurisdictio, ratiocinatio, deliberatio, iusticia, timor Domini et necessitas; de quibus singulariter, dispiciamus. Scientia in iudicio necessaria est, ut Salomon ait: "Ante iudicium para iusticiam, et antequam loquaris, disce." Quare iudex, qui impericiam male iudicavit, tenetur, sicut et medicus, qui per impericiam male secuit, tenetur, ut Leges nostre dicunt.

Iurisdictio etiam necessaria est. Nam et ipsi Iudei dicebant Pilato: "Nobis non licet occidere quemquam," quia non habebant iurisditionem. Alioquin sententia nulla esset, ut pote a non competenti iudice lata, ut Leges clamant.

Ratiocinatio est necessaria, id rationis inquisitio. Nam "bene adhibita ratio, quid optimum sit cernit, neglecta vero, multis implicatur erroribus," ut quidam sapiens dixit. Nam quod ratione caret non potest esse diuturnum, qui enim secum rationem portat totum mundum vincit. Unde quidam sapiens dixit: "Si vis vincere totum mundum, subice te rationi."

Deliberatio etiam in iudicio est necessaria. Cum deliberatione enim et sine festinantia et ira procedendum est ad iudicium. "Deliberare enim utilia, mora est tutissima." Nam, ut quidam sapiens dixit: "Optimum iudicem existimo, qui cito intelligit et tarde iudicat." "In iudicando enim criminosa est celeritas." Unde dici consuevit: "Mora omnis odio est, sed facit sapientem." Et alius sapiens dixit: "Duo sunt contraria iudicio: festinantia et ira." Quare etiam Tullius dixit: "Numquam enim iratus qui accedit ad penam mediocritatem illam tenet, que est inter nimium et parum." Unde etiam lex dicit quod iudex ponderatas debet fere sententias et "frequenter partes interrogare an novi aliquid addere velint." Et Dominus etiam cum mulier deprehensa in adulterio ducta esset ante eum, digito scribebat in terra. Et, post deliberationem, elevato capite, sententiavit dicens: "Quicumque vestrum sine peccato, primum in eam lapidem mittat." Et iterum deliberando, in terram scribebat et postea elevatis oculis dixit: "Mulier, ubi sunt qui te accusant?" Et illa dixit: "Nemo, Domine." Et ille respondit: "Si nullus te accusat, nec ego te condemnabo."

Iusticia vero in iudicio est necessaria, ut supra dixi: "Ante iudicium para iusticiam."

Timor enim in iudicio est necessaria, quia: "Timor Domini est initium sapientie," ut Propheta dixit. Nam tanta est confusio legum et decretorum et decretalium quod ad iudicandum vix memoria hominum sufficit. Unde Lex dicit: "Omnium memoriam habere, et penitus in nullo peccare, potius est divinitatis quam humanitatis." Si ergo potius est divinitatis quam humanitatis, valde timendum est ne forte divinitas in nobis non sit.

Necessitas vero incumbere debet in iudicio, potius quam voluntas. Non enim per illa verba: "Nolite iudicare et nolite condemnare" exclusit necessitatem, sed voluntatem, que dicit: "Non iudicetis ex voluntate." Sed cum necessitas subest, iudicare potestis, quod probatur per aliud Evangelium, ubi dicit: "Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate." Non ergo peccatus est iudicare, si necessitas et oportunitas subest. Simile "nolite" est cum dicit: "Nolite iurare omnino." Non enim exclusit necessitatem vel utilitatem iurandi, sed voluntatem, quasi dicat: "Non habeatis voluntatem iurandi." Recte enim iuramentum prestatur, si tres comites secum habeat, scilicet: utilitatem, veritatem, et necessitatem. Unde Apostolus dixit: "Homines per maiorem sui iurant." Et alibi: "Uniuscuiusque controversie finis est iuramentum." Et "Angelus Domini iuravit per viventem in secula." Et Propheta dixit: "Iuravit Dominus, et non penitebit eum." Simile "nolite" est in Ysaia, ubi dicit: "Nolite addere agrum agro, vel domum domo." Nam nec ibi exclusit Dominus necessitatem vel utilitatem, sed voluntatem. Nulli enim sunt tam religiosi, qui non addat agrum agro, vel domum domui. Nam si isti Fratres Minores non haberent ecclesiam competentem et amplam ad congregationem fidelium, adderent ecclesie etsi non haberent locum congruum ad coquinam, vel refectorium, adderent tunc domibus suis predicti. Simile "nolite" est cum dicit: "Nolite cogitare de crastino," et in aliis multis locis.

Sic ergo intelliguntur verba Domini: "Nolite iudicare, si non habetis peritiam et scientiam iudicandi." Item: "Nolite iudicare de occultis vel dubiis." Item: "Nolite iudicare, si non habetis iurisdictionem." Et: "Nolite iudicare sine ratione, vel contra rationem, vel omisso ratiocinatione." Et: "Nolite iudicare sine deliberatione, vel cum festinantia, vel ira." Inde etiam: "Nolite iudicare iniuste vel contra iusticiam." Et: "Nolite iudicare sine timore Domini." Et: "Nolite iudicare, et non habeatis voluntatem iudicandi, nisi necessitas, vel utilitas subsit." Et, si ita feceritis, non iudicabimini nec condemnabimini propter iudicium vestrum, immo meritum habebitis inde, eritis beati, Propheta testante, qui ait: "Beati, qui custodiunt iudicium et faciunt iusticiam omni tempore."

Nunc superest ut videamus super quinto vocabulo huius versus, videlicet ubi dicit: "Fillii hominum per filios hominum," dicit Propheta, "recte iudicandum." Et ita per hec verba excluditur et removetur quedam superstitio quorum hereticorum, qui dicunt homines non posse iudicare, nec vindictam facere, dicunt corporalem vindictam ad solum Deum pertinere, allegantes pro se verba Domini dicentes: "Michi vindictam; et ego retribuam," et predictam auctoritatem: "Nolite iudicare," et, "Si quis percusserit mihi maxillam, porrige ei et aliam. Et si quis abstulerit et tunicam tibi da ei et pallium." Sed certe prave intelligunt predictas auctoritates. Nam, sicut in uno corpore multa membra sunt, non tamen eundem actum habent, ut Beatus Paulus dicit, ita et inter homines distinctas sunt officia. Nam aliud dictum religiosi et aliud in seculo manentibus, aliud vero iudicibus. Religiosis et perfectis dictum est: "Si quis abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium. Si quis dederit tibi in maxillam, porrige ei et aliam," in seculo vero manentibus, etiam bonis, dictum est: "Vim vi

repellere omnes leges omniaque iura proclamant." "Quod quis ob tutelam sui corporis facit, id recte fecisse videtur," et: "Melius est in tempore occurrere quam post exitum iudicare." Dum tamen ad vindictam non fiant predicta, ut Leges clamant, vindicta vero nulli permittitur nisi iudici iurisdictionem et imperium habenti. Quod enim iudici, iurisdictionem habenti, vindicta etiam corporalis permittatur, probatur per Vetus Testamentum et per Epistulas Apostolorum et per Evangelium Domini.

Per Vetus Testamentum probatur, quia in lege Moysi dicitur: "Maleficium non paciaris vivere super terram." Et alibi: "Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur," et infinitis aliis auctoritatibus Veteris Testamenti. Sed heretici prefati dicunt Vetus Testamentum non esse servandum et legem Moysi datam esse a diabolo. Quod nequaquam dicere possunt. Nam, si lex Moysi data esset a diabolo, non preciperet Deus ipsam servari, nec diceret Deum debere audiri, nec appellaretur in Evangelio lex Domini. Dicit enim Dominus in Evangelio ipsam debere servari cum dicit: "Super cathedram Moysi sederunt scribe, et pharisei, et ypocrite. Omnia, quecumque dixerint vobis, observate, et facite." Iubet etiam Dominus Moysem debere audiri cum dicit in Evangelio divitis: "Habent Moysem, et Prophetas: audiant illos." Appellatur etiam per Evangelium lex Domini cum dicit de Elizabeth et Zacharia, qui ambo erant iusti apud Deum, procedentes in omni opere et sermone, secundum legem Domini." Et etiam Dominus, post resurrectionem, cum appropinquasset discipulis suis, euntibus ad castellum, quod dicitur Emaus, incipiens a Moysen et Prophetis, exponebat Scripturas. Si enim lex Domini data esset a diabolo non incepisset Dominus expositionem Scripturarum a Moyse.

Sed quia ipsi heretici dicunt: "Ecce vetera transierunt, et facta sunt nova omnia," probemus etiam per Novum Testamentum vindictam corporalem per iudices habentes iurisdictionem et imperium debere fieri et ipsam Deo placere. Dicit enim Beatus Petrus: "Estote subditi omni humane creature propter Deum: sive regi, tamquam excellenti; sive ducibus, tamquam ad ab eo missis ad vindictam vero malefactorum, ad laudem vero bonorum." Ergo vindicta de malefactoribus per iudicem facienda est. Et etiam Apostolus, in Epistula prima ad Romanos, dicit: "Iudex non sine causa gladium portat. Est enim iudex malefactorum in iram." Ergo vindictam de malefactoribus sumere debet iudex. Dei enim minister per Paulum dicitur, sive sit bonus iudex sive sit malus. Pilato enim, qui malus iudex erat, dixit Dominus in passione sua: "Non haberes potestatem super me, nisi data esset tibi de super." Non tamen obedire debemus malis potestatibus in malum, cum idem Apostolus dicat: "Principes non sunt timori boni operis. Vis non timere potestatem? Bonum fac." Et alibi: "Noli vinci a malo."

Per verbum etiam Domini probatur vindictam corporalem per iudicem debere fieri. Nam dixit Lucas in Evangelio: "Verum tamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se aducite huc, et interficite ante me." Et enim per passionem Domini probatur. Nam cum Dominus in cruce penderet, duobus latronibus pendentibus uno a dextris altero vero a sinistris, unus blasphemabat eum, dicens: "Si filius Dei es, descende nunc de cruce et salva te ipsum, et nos." Alius vero inculpavit illum, dicens: "Nec tu Deum times? Nos quidem digna factis patimur et iuste, hic autem nil mali fecit," et, conversus ad Dominum, inquit: "Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum." Dominus autem dixit ei: "Hodie mecum eris in paradiso." Certe aut latro iste dixit verum aut falsum. Si verum dixit ergo verum est quod latrones et similes malefactores, pro suis malis factis, digne et iuste occidi possunt, etiam a malis potestatibus sive iudicibus, sicut illi occidebantur. Si autem falsum dixit, in male fecisset Deus si pro uno mendatio, quod est peccatum mortale,

paradisum ei promississet.

Non ergo debet iudex, habens iurisdictionem et imperium, dubitare facere vindictam. Nam dixit quidam sapiens: "Iudex, qui dubitatulcisci, multos improbos facit." Et alius dixit: "Qui non corripit peccantem, peccare imperat." Et alius dixit: "Criminis indulti securaaudatia crescit." Nam, prout puto, sicut quilibet, singulariter vindictam faciendo, peccaret, ita iudex, vindictam omittendo, non esset a peccato immunis. Alioquin tot essent malefactores, qui bonis hominibus vestes et cibaria auferrent non quod nullus bonus viverevaleret.

Si ergo vos filii hominum, iudicate ut Deum non offendatis, sed mereamini audire ultimum iudicium Domini, qui dicet: "Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi," ad quod ille nos conducat, qui sine fine vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Amen.

Sermos IV

Hic est Sermo, quem Albertanus causidicus de Sancta Agatha composuit et edidit inter causidicos brixienses, apud Fratres Minores in congregatione solita, sub anno Domini M. CC. L, in media Quadragesima, sermo Albertani super doctrina timoris Domini. Rubrica.

Rogate Deum, fratres, ut ministerio sue sanctitatis, tribuat mihi, servo suo inutili, dicere inter vos hodie aliquid utilitatis. Fratres meicarisimi, qui estis ab hominibus sapientes nominati, summa opere curare debetis ut, secundam legem nostram, vera nomina sintconsequencia rebus, hoc est vere sitis sapientes, veramque sapientia possiddeatis. "Quicumque ergo vestrum indiget sapientia, postulet illama Deo, qui dat omnibus affluenter, nec impropert: et dabitur ei," ut Beatus Iacobus in Epistula sua dixit. Et certe, sicut per leges humanas"uniuscuiusque rei potentissima pars principium est," et "uniuscuiusque contractus initium spectandum est," ita per legem divinam, adpercipiendam sapientiam, ad initium vos occurrere oportet, hoc est ad timorem Domini, qui est initium sapientie, ut Propheta dixit, qui ait:"Initium sapientie timor Domini." Audiamus itaque verbum Domini, per eundem Prophetam dicentis: "Venite, fili, audite me: timoremDomini docebo vos." Ad doctrinam vos invitat Dominus sui timoris, ut tribuat vobis dulcedine sui amoris.

Hec est enim Domini iusta consuetudo ut, cui vult tribuere suam gratiam et suum amorem, prius incutiat suum timorem, quod potestisvidere per multa exempla. Nam, cum voluit tribuere Beate Virgini Marie suam gratiam et suum amorem, prius incussit ei per Angelumsuum timorem. Unde scriptum est in Evangelio quia, cum perturbata esset Virgo Maria in salutatione Angeli, rendit ei Angelus, dicens: "Netimeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum." Similiter, cum voluit tribuere Beato Iohanni suum amorem et ostendere illi secreta sua,prius incussit ei tantum timorem ut caderet enim in terram quasi mortuus, ut in Apochalipsi legitur. Similiter, cum Dominus BeatumPaulum vas electionis fecit, eique suam gratiam tribuit, tantum timorem ei incussit ut caderet in terram quasi mortuus pre timore et dixit:"Domine, quid vis me facere?" ut in Actibus Apostolorum legitur. Et sic possent poni infinita exempla.

Habeamus ergo timore Domini et multa bona habebimus. Nam dixit Tobias filio suo: "Multa bona habebis, si timueris Deum." Et certe perDei timorem, ut dixi, habebimus cuis amorem et etiam omnia et oa bene geremus. Nam dixit Cassiodorus: "Semper bene geritur, si celestismetus humanis moribus apponatur."

Tertio. Per Dei timorem habebimus claves ad omnem bonum et ad percipiendam gloriam in conductum. Ait enim Petrus Alfonsus, qui fuitoptimus phylosophus: "Timor Domini est clavis ad omnem bonum et ad percipiendam gloriam in conductum."

Quarto. Per Dei timorem habebimus lucrum sine labore. Dixit enim idem Petrus: "Fili, timor Domini sit negotiatio tua et veniet tibi lucrumsine labore."

Quinto. Per Dei timorem initialem, qui et caritativus dicitur, expellemus omnes timores, videlicet umanum mundanum servilem et omnianos timebunt. Nam dixit idem Petrus: "Qui timet Deum, omnia timent eum; qui vero non timet Deum, timet omnia." Timere itaque debemus Deum cum virtute et sapientia, ut omnes terrores vidicamus. Scriptum est enim in libro qui dicitur Ymago mundi: "Virtus, adiutorio sapientie, omnes terrores vincit."

Sexto. Per Dei timorem expellemus omnem inopiam et non minuemur omni bono. Dixit enim Propheta: "Timete in eum omnes sancti eius; quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono."

Septimo. Per timorem Dei expellemus omnem servitutem et aquiremus non solum libertatem, sed etiam summam ingenuitatem. Nam "Qui timet Dominum diligit illum; et qui diligit illum, obedit Deo," ut Petrus Alfonsus dixit. Et qui timet et diligit illum et obedit Deo, Spiritus Dei est in illo. Et certe "Ubi Spiritus Dei est, ibi libertas est," ut dixit Beatus Paulus, in Epistula secunda ad Corinthios. Et Beata Agatha, interrogata a Quintiano cuius conditionis esset, rendit: "Ingenua sum." Et cum ille reprehendisset eam, dicens: "si ingenuam es, quomodo ancillam Christi te esse comemoras?" et illa respondit: "Summa ingenuita hec est in qua servitus, Christi comemoratur," ut in passione dicte Virginis legitur.

Octavo. Per timorem Domini acquiremus illius misericordiam. Quare Beata Maria Virgo dixit: "Et misericordia eius a progenies in progenie timentibus eum."

Nono. Per Dei timorem acquiremus illius adiutorium atque protectionem. Ait enim Propheta: "Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adiutor eorum, et protector eorum est."

Decimo. Per Dei timorem acquiremus illius glorificationem. Dicit enim Propheta: "Multa flagella peccatoris." "Timentes autem Dominum, glorificat."

Undecimo. Per Dei timorem acquiremus beatitudines et erimus beati. Dixit enim Propheta: "Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius."

Duodecimo. Per Dei timorem pervenimus ad perfectum bonum, hoc est ad veram sapientiam et sciam divinarum et humanarum rerum. Est enim "sapientia perfectum bonum mentis humane," et "divinarum et humanarum rerum scientia," ut Seneca in Epistulis dixit. Est enim summum bonum in vita solamen studium sapientie, quam qui invenit felix est et qui possidet beatus. Quam sapientiam Salomon in Proverbiis super omnia commendavit, dicens: "Melior est sapientia cunctis preciosis opibus: et omne desiderabile ei non poterit comparari." Unde ait: "Dic sapientie, soror mea es: et prudentiam amicam tuam voca." Et iterum: "Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia melior est argento." Quam sapientiam habere debemus ad sobrietatem et cum timore Domini. Nam dixit Beatus Paulus, in Epistula sua ad Romanos: "Noli altum sapere, sed time." Et iterum, in eadem: "Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem." Et certe, si ita fecerimus, sapientia multa bona nobis tribuet.

In primis enim letificat cor, ut Iesus Syrac testatur, dicens: "Vinum, et musica letificant cor: et super ultraque dilectio sapientie." Insuper etiam animum sanat. Nam dixit Seneca in Epistulis: "Eger animus est sine sapientia." Sapientia insuper "animum firmat et fabricat, vitadisponit, regit actiones, agenda et omittenda demonstrat." "Sapientia nos tueri debet. Hoc docebit ut Deum sequaris, feras casus." "Hoc exigitur ad legem suam quisque vivat nec a ratione vita dissentiat." Hominem ita sapientem facit ut a quodam philosopho dicatur: "Sapiens contra omnes feret arma cum cogitat." Nos ergo ita sapientes esse debemus ut simus "sapientes in bono, et simplices in malo," ut Beatus Paulus, in Epistula ad Romanos, dixit.

Et contra omnes malos fere debemus arma iustitiae, cum cogitamus. Nam, cum homines veniunt ad nos pro consilio vel auxilio petendo, bene et iuste debemus eis consulere illosque adiuvere in bona causa, et etiam possumus inde iustum pretium petere sive salarium accipere. Nam dixit Beatus Augustinus: "Licet advocato vendere iustam advocacy et iurisconsulto vendere iustum consilium."

Et si forte amicus vel vicinus vel aliquis potens vellet ut ei collusionem vel maliciam iudicemus vel in mala causa eum adiuvemus vel defendamus, viriliter ei resistere eumque a malo proposito revocare pro posse debemus et rendere illi secundum Apostoli dictum, qui dixit, in Epistula secunda ad Corinthios: "Non enim possumus adversus veritatem, sed pro veritate." Et etiam secundum leges nostras responderi debemus, quae dicunt: "Quae facta pietatem et extimationem vel verecundiam nostram ledunt, et generaliter, quae contra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credendum est," et ea demum fieri posse creduntur, quae commode fiunt. Et si forte ille amicus foster institerit, volens nos a bono proposito ad malum trahere, constantiam habeamus et in memoriam dictum Apostoli, qui ait in Epistula ad Romanos: "Noli vinci a malo, sed vince in bono malum." Et etiam recordemur consilii Salomonis, qui dixit: "Noli esse humilis sapientia tua, ne humiliatus in stulticiam seducaris." Et aperte dicamus illi amico vel clientulo nostro: "Amice, hec lex in amiciciam sciatur, ut neque rogemus res turpes neque faciamus rogati" et: "Ab amicis honesta petamus et, amicorum causa, honesta faciamus." Peccatum enim pro amicis facere non debemus. Nam dixit Tullius De amicitia: "Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris" et maxime in re turpi, ubi duplex est peccatum. Ait enim Seneca: "In turpi re peccare, bis est delinquere."

Nec etiam debemus illos defendere in peccato, ne nobis crimen paremus. Ait enim Seneca: "Et nocentem qui defendit, crimen sibi parat." Et iterum: "Socius fit culpe, qui nocentem iuvat." Innoxie enim alios defendere debemus, ut proprie defensores dicamur. Ait enim Cassiodorus: "Ille proprie defensor est dicendus qui defendit innoxie." "Amici enim vicia si feras, facis tua," ut Tullius dixit.

Nec dicat aliquis quod sapientia nostra sit sapientia mundana, quae est stulticia apud Deum. Illa enim scientia, quae maliciose et a malicioso exercetur est scientia huius mundi et abusive dicitur scientia. Illa vero scientia, quae est sapore virtutum condita, est vera sapientia ad cuius studium summa ope niti debemus, quia sine illa nemo beate vivere potest. Nec dicat aliquis: "Non bene possem lucrari nisi maliciam exercerem in causis." Nam certo certius est quod in duplum lucrabitur, si cadat in famam bonitatis et legalitatis, videlicet quod bonus et legalis sit in consiliis et in processu

causarum et in iudicando, quam ille maliciosus, et merito. Ait enim Iesus Syrac: "Curam habe de bononimine: hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri magni, et preciosi." Et Salomon ait: "Super argentum et aurum bona est." Et Seneca dixit: "Cui omnes benedicunt, possidet populi bona."

Ille vero malitiosus negligit famam et ideo crudelis est iudicandus. Nam, ut dixit Augustinus: "Qui negligit famam, crudelis est." Et si forte aliquando plus lucretur, cum mala fama et dampno suo hoc facit. Nam scriptum est: "Lucrum cum mala fama dampnum est appellandum." Unde quidam philosophus dixit: "Perdidi malle, quam turpiter accepisse."

Et hec vidi meis temporibus, qui in hac professione e plus viginti quatuor annis exercitatus sum; omnes enim habentes famam iusticie et bonitatis vidi habundare omnibus bonis, maliciosos autem, habentes famam iniusticie atque malignitatis, omnes vidi destructos cum omnisua substantia et omnibus suis bonis, et merito. Scriptum est enim: "Substantie iniustorum sicut fluvius siccabuntur," quia: "Qui male congregat, cito dispergit." Iustum iudicium est ut, que de malo perveniunt ad malum perveniant, nec accedat ad bonum, quod non procedit ex bono.

Summo igitur ope curemus ut nostra nomina sint consequencia rebus et vere sapientes sumus, veramque sapientiam taliter possideamus ut, omnia cum timore Domini facientes, per hanc scalam, duodecim gradus habentem, qui omnes gradus procedunt a timore Domini, valeamus scandere ad regnum Dei, ad quod ille nos conducat, qui sine fine vivit et regnat. Amen. Amen.